

# PRÆFATIO

## ad Ludi-Magistros.

**R**uditatis antidotum Eruditio est, qvâ in Scholis Ingenia imbui debent: sed ita, ut Eruditio vera, ut plena, ut lucida, ut solida sit. Vera erit, si non nisi utilia vitæ docentur & discuntur: ne postmodum queritandi occasio sit: Necessaria ignoramus, qvia Necessaria non didicimus. Plena: Si expoliatur Mens ad Sapientiam, Lingua ad Eloqventiam, Manus ad actiones Vitæ solerter obeundas: hoc erit sal illud vitæ, Sapere, Agere, Loqui. Lucida erit, ac per id firma & solida, si qvicquid docetur & discitur, non obscurum sit, aut confusum: sed clarum, distinctum, articulatum, tanquam digiti manuum. Hujus rei fundamentum est, ut Sensuala recte præsententur Sensibus, ne capi non possint. Dico, & altâ voce repeto, postremum hoc reliquorum omnium esse fundamentum: qvia nec Agere, nec Loqui sapienter possumus, nisi prius omnia, qvæ agenda sunt, & de qvibus loquendum est, recte intelligamus. In Intellectu autem nihil est, nisi prius fuerit in Sensu. Sensus ergo circa rerum differentias recte percipiendas, gnaviter exercere, erit toti Sapientiae totiq; sapienti Eloqventiae, omnibusq; prudentibus Vitæ actionibus fundamenta ponere. Qvod qvia vulgo in Scholis negligitur, discipulisq; discenda objiciuntur, nec intellecta, nec sensibus recte præsentata, fit, ut docendi & discendi labor moleste procedat, exiguumq; ferat fructum.

En igitur novum Scholis Subsidium! *Omnium fundamentalium in Mundo rerum, & in Vitâ actionum, Pictura & Nomenclatura!* Qvam ut vestris cum discipulis pertransire libenter ne gravemini, boni Magistri, qvid inde boni veniat exspectandum, paucis explicabo.

Liber eit, ut videtis, haut magnæ molis: Mundi tamen totius & totius Linguae Breviarium, plenus Picturis, Nomenclaturis, rerumq; Descriptionibus.

I. *Picturæ*, sunt rerum omnium visibilium (ad qvas & invisibles suô modô reducuntur) totius mundi Icones, idq; ipso fermè rerum Ordine, qd in Januâ descriptæ sunt, atque plenitudine eâ, ut nihil adeò necessarium, cardinale omittatur.

II. *Nomenclaturæ*, sunt suæ cuique Picturæ superpositæ Inscriptio-